

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.

DISPUTATIO
EXERCITATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XL,

De
MANSUETUDINE,
ET VIRTUTIBUS
homiliticis.

Quam,

DEO AVSPICE,

SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILÉMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,

Liberalis exercitiij gratiã defendendam suscipiet,

JOACHIMUS CRAMBERUS,

Stetinensis Pomeranus,

In celeberrimã VVittebergensi Academia,

ad diem 25 Maij, hora 6 loco solitis.


Hipparchi $\mu\eta\eta\mu\alpha$ apud Platon.

$\Sigma\lambda\epsilon\iota\chi\epsilon$ $\delta\iota\kappa\alpha\iota$ $\Phi\alpha\gamma\omega\alpha\iota$.

WITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni. ANNO M. DC. XI.





CONSULTISSIMIS,
Spectatissimis & Pruden-
tissimis VIRIS,

DN. JACOBO FUNCKIO,
*Amplissima Stetinenſium Reipub.
Senatori digniſſimo,*

DN. MARCO CRAMBERO,
*J. U. Candidato, fratribus ſuis
dilectiſſimis,*

hoc *γῶμα* Ethicum
in fraterni amoris teſſeram

D. D. D.

*Joachimus Cramberus
Respondens.*

PRÆLOQUIUM.

Ergo ut occupemus, in Speciali Virtutum moralium consideratione ac penfatione, ne finus instar tubarum inantum, à quibus ubi sonus exiit, intus nihil manet, Scalig. Exero 307. Sect. 26. neque etiam ignavis, sed diligentibus sese offert tandem, & dat veritas. Idem ibid. Sect. 9. Virtus insuper, ut bñs presentanea, sic maxima, grave addit momentum. Quemadmodum enim ij, qui in aromatum tabernâ sederunt, in vestibus ipsis referunt secum odorem loci; Sic habitus aliquis virtutum adhaerescit animo ab infestâ ejus officinâ, Lips. lib. 2. de const. c. 5. Accedamus verò primitus ductu ordinis meliusculi & formosiusculi ad Mansuetudinem, quæ homini accommodatissima, Laclant lib. 6. Instit. cap. 3. (siquidem - - separat hæc Nos - - A grege mutorum, Juven. Sat. 1.) quæq; haur se-eius ac Solis instar, ut primum apparet, fugat tenebras. sic hæc suâ presentia res turbulenta componit, quietasq; ac tranquillæ reddit, Chrysost. serm. in Ozium. Hinc ejus dulcedo, sic scisè & verè Val. Max. in f. c. 1. lib. 5. etiam in effera barbarorum ingenia penetrat, torvosq; & truces hostiû motis oculos, ac victoria insolentib; sprius flectit. nec illi difficile & arduum est, inter arma contraria, inter distractos cominus mucrones placidum iter reperire, Vincit iram, prosternt odium, &c. Hinc & Poeta versibus cereâ aureis - Pulchrum eminere est inter illustres viros - - consulere patriæ, parere afflictis, ferâ - - cædâ abstinere, tempus atque iræ dare - - Orbi quietem, seculo pacem suo - - Hæc summa virtus, peritur hæc cælum viâ, Seneca in Octav. Deinde citatim conferamus Nos ad illarum virtutum penitorem scrutationem, quæ in cotidianâ conversatione, sermonumq; & abtiorum communicatione versantur, quæq; à Philo-
sopho ὁμιλιῶν, eò quod ἄλλοι ὁμιλίαν modis per plurimos conferant, appellantur, lib. 4. Et hic. cap. 12, ut est Comitas, Veritas, & Urbanitas: Quarum equidem intel-
ligere naturam, non tam utile est, quam necessarium, dum ipsius nature instinctu Ho-
mo ad societatem civilem feratur, lib. 1. Eth. Nic. c. 7. & 9, & lib. 1. Polit. c. 2. & seq. Indè non immeritò tali ab Antistite ornantur elogio, dum inquit: Hæc e-
rant quæ in amicis capiebant animum, colloqui & arridere, & vicisim benevole obse-
qui, simul nugari, & simul honestari, disseniire interdum sine odio, &c. August. lib. 4. confess. c. 8. De quatuor igitur hiscè virtutibus pauca insequentia simplicissimâ brevis.
simâq; oratione ponimus.

T H E S I S I.

Mansuetudo est mediocritas in irascendo, lib. 4. Eth. Nic. cap. 5, quæ scilicet quis irâ concitatur, quibus de causis aliquem irasci, & quibus hominibus, & quomodo, & denique quo tempore, ac quamdiu oportet: Versatur enim virtus hæc circa iram, tanquam circa objectum internum, quam moderatur & frenat; Pro externo autem, injurias, convitia, omni-
aq; ea, quæ iram meritissimè suscitare solent, obtinet.

II. Officium ejus generat ira in observatione consistit harum circum-
stantiarum, 1. Causarum, ne temerè ac leviculas ob res, ac justas solùm &
graves causas propter, ad Dei, ad Patriæ, ad Nostram ipsorum defensionem
non minimùm pertinentes, irâ commoveamur.

R 1 2

III. 2.

III. 2. Personarum, ut irascamur non cuius, ut potè ne superioribus, parentibus, benè de nobis meritis, nevé veniam deprecantibus, sed sceleratis solum & pertinacibus succenseamus. 3. Modi, ne nimirum irâ perturbemur, ne scilicet in eâ aliquid indecori committamus, quod vel esset honestatem contrâ, vel nobis obesset.

IV. 4. Temporis, ut irascamur videlicet, tum justo tempore, non tardius quam par est, neque dum agimus seria, aut dum laticia causâ convenimus; Tum ne iram nimis diu alamus, nevé dum mortales sumus, geramus iras immortales; Tum demum ut magè ad ignoscendum, quàm ad irascendum prociues simus.

V. Veniunt enim speciatim de singulis monere quid velle circumstantiis, quibus nam hominibus irascendum, quibus non, item quibus de causis, quantum, quandiu, &c. Difficile, quinimò est penitus impossibile: Illud igitur unicum hic attentè attendatur, quod in omnibus hiscè obtemperandum unicè rectè rationi sit, atque semper ad defectum potius, quam iræ excessum declinandum.

VI. Vitia Mansuetudini opposita numerò duo sunt: Nam excessus ejus Iracundia dicitur, defectus proprio quidem nomine exprimi nequit, tamen non imrectè Lenitas diceretur, nî & ipsa virtus hoc nomine in vulgario usu veniret, Cicero certè eandem seu Lentitudinem seu Lenitudinem nominat, Aristoteles verò ἀοργησία, sive ira vacuitatem.

VII. Illa vitium est, quo quis irascitur non eo modo, neque tempore eo, neque iis de causis, quibus oportet, sed in hiscè excedit omnibus veram & legitimam rationem: Salutatur aliàs nomine Excandescencia, cum nimirum vehementius, aut justo diutius, aut quando non oportet, irâ effervescescimus.

VIII. Suntq; species Iracundia & Iracundorum tres potissimum, 1. ἀκρογής, seu Acerbitas, & Amarulentia, quæ propriè eorum est, qui tardius quidem, verùm gravius quàm decebat, iræ se dant, eamq; altè animo impressam diutino temporis spacio fovent, in tantum sanè, ut eam deponant difficilimè, nî aut injuriam sibi illatam vindicârint, aut minimum iram diuturnitate temporis decoxerint.

IX. 2. χαλεπότης, Crudelitas & Savitia, estq; gravis & pertinax ira eorum, qui & citius & gravius irascuntur, insimul etiam iram diutius fovent, planeq; nullo modo, nullo tempore placantur, nisi & abundè, & atrociter offensores suos ulciscantur. 3. ἀπερχολία vel excandescencia,

quo

qua eorum est, qui & subito, & qua suis ob causas, nec non vehementius quam par est, irascuntur, interim tamen & cito placantur.

X. Et haec licet ultima Iracundiae species omnino in vitio etiam posita sit: Tamen reliquarum respectu bona dici potest, ut potè vitiosa minus quam vel Ira pertinax, quae omnium pessima, vel Amarulentia, partim quia Acerbi non sunt aperti, sed iram, quantum ejus unquam fieri quit, tegunt, illi verò qui subito irascuntur, apertas gerunt inimicitias, partim quia illi difficiles sunt ad placandum, hi minimè, partim denique, quia illi sibi ipsis summè nocent, dum isto dolore, qui est in irâ diuturniore, seipsos conficiunt.

XI. Ira vacuitas seu Lenitudo est vitium, quo quis irascitur non iis de causis, quibus vel maxime oportebat, neque iis hominibus quibus debebat, neque eo modo & tempore quo ipsum irasci decebat: Hoc vitio, perraro sanè, laborantes, oportet vel stultos esse & sensu penitus carere omni, vel certè abjectissima & vilissima esse ingenia, cum mancipiorum sit quasvis ferre injurias.

XII. Interim, si fatendum rerum, Lenitudo minus adversatur Mansuetudini, longèq; est quam Iracundia melior, tum quia haec frequentior, ac nemo serè non ad eam magis est proclivis, quo aurem quodq; vitium est frequentius, est eò & pejus, tum quia ad communem societatem colendam minus idonea est. Tantum de Mansuetudine.

XIII. Porro Comitatus seu Humanitas est mediocritas dictorum & factorum, quâ vir bonus in cotidianâ vitâ offensionem aliorum, quantum ejus par est, cavet, & ipse quoque ea quae probari possunt, & quantum approbanda sunt, approbat, contra autem iis, quibus decet, offenditur, lib. 4. Et b. Nic. cap. 6.

XIV. Versatur namque haec Virtus unâ cum insequentibus duabus, veritate scilicet & urbanitate, circa vitam & conversationem cotidianam, tanquam circa commune Objectum: Quia verò in hac ipsâ respicitur, vel Verum vel Iucundum, atque hoc vel in jocis vel in seriis; Ideò tres etiam illa virtutes propriis Objectis discriminantur, & hujus quidem est communio sermonum ac factorum in vitâ cotidianâ, prout ea vel est jucunda, vel molesta, idq; seriis in rebus.

XV. Nam quod in eâ quoque repertu sit aliqua laudabilis mediocritas, patescit vel inde, quia hic dantur vitiosa extrema, dum alii nimis blandi in sermonibus & factis suis sunt, inq; universum omnia, quae ab aliis

sunt dicunturvè, approbant; Alii iusto morosiores, omnia impugnantes,
& nullum non contentione suâ offendentes.

XVI. Officium verò Humanitatis in hiscè potiss: canonibus locatum
est, 1. Major comitatus erga amicos quam peregrinos decet, id quod mutui
amor in obscure exposcit. 2. Humanus eò impensè allaborabit, ne aliis con-
versatione suâ molestus sit, sed potius eosdem delectet: Maximè tamen
rationem quoque habeat honestatis & utilitatis, ium suæ, tum alio-
rum.

XVII. 3. Idem quoque respectum habeat personarum & statuum, ne-
que omnes parili reverentiâ atque humanitate tractabit. 4. Comitatus
quidem in peculium quasi datum est, delectare in conversatione alios: At-
tamen in eâ non tantum ad tempus præsens, sed & in futurum insuper re-
spiciendum est.

XVIII. Indeq; si utilitas major futura est oblectatione præsentē, illi po-
tius quàm huic studendum: Neque Humanus verebitur quandoq; aliis mo-
lestum se præbere, reprehendendo illorum mores & consilia, ubi scilicet ipsi
advertere datur, hoc imposteriorum magis utile & jucundum, quàm præsens
obsequium fore.

XIX. Humanitati tandem duo opponuntur vitia, & in excessu qui-
dem blanditiæ seu Indulgentiæ, quæ est vitium, quo quis nimium cavet a-
liorum offensionem proindeq; omnibus hominibus tam sermone, quàm fa-
ctis suis blanditur nec cuiquam molestus esse vult, sive id fiat honestè &
commode, sive non.

XX. In defectu verò Morositas, estq; vitium quo omnibus indisci-
minatim contrarii sumus, reprehendendo quævis illorum dicta & facta,
semperq; contendendo nulli in conversatione accommodamus nos, etiamsi
honestè & utiliter id fieri possit. Et tantum etiam de Humanitate seu
comitate.

XXI. Cæterum veritas seu Veracitas est Virtus, quæ res prout habent
se vel Nobis insunt, esse vel non esse fatemur, nullam earum extenuantes aut
efferentes: Veratur siquidem ut Humanitas itidem circa usum sermonis
& factorum in vitâ quotidianâ, nisi quod hæc τὸ ἀληθές tantum in iis deus
sibi propositum habeat.

XXII. Ideò propria Veracis hæc sunt: 1. In omni oratione, vitæq; tota
veritatem instar cynosuræ observare, colereq;. 2. Eam profiteri non lucrî
alicujus

allicuius spe, aut honoris, sed ex ipso ejus habitu, amoreq, in tantum fan-
ut non nisi vera loqui queat, quia talibus adfuetus. 3. Inde insinuat &
equitatis erit studiosus, ut tum multo magis, quam inane unquam, Ve-
ritatis studeat, quando equitas id requirat.

XXIII. 4. Idem quoq, est ἐπαυεῖος, ac magnam meretur laudem,
dum mendacium, quod turpissima res est, sponte sua, summoq, devitat stu-
dio. 5. Est demum & modestiæ studiosus, & mavult minora de se nun-
quam non dicere, quam majora, cum semet extollere ipsum aliis molestum,
ac grave auditu nimium quantum esse soleat.

XXIV. Extrema verò hujus Virtutis duo sunt: Excessus ejus est ἀλα-
ζορεία, seu jactantia & vana ostentatio, qua quis de rebus magnis gloria-
tur, & ea quæ plarè non sunt, vel sunt, quam ille refert, minora, jactitat
atq, dissimulat. Et hujus gradus potiss: tres sunt: 1. qui mendacio ipso dele-
ctantur, indeq, semper & sine discrimine mentiuntur.

XXV. 2. Qui hoc honoris cupiditate factitant, majoraq, quam par est,
sibi attribuunt. 3. Sunt qui quæstus gratiâ dicant falsa, ac multa simu-
lent: Et tales ea sibi maximè arrogant, quæ in vitâ communi usum neces-
sarium habent, quæq, reliquis magis latent, ut sunt artes præfagiendi,
singulari ratione medendi, &c.

XXVI. Defectus ejusdem ἐπαυεῖα dicitur seu dissimulatio, quâ ea quæ
sunt aut esse negamus, aut minora, quam sunt, dicimus esse, extenuamus vè:
Ejus itidem tres sunt gradus. 1. Quidam enim magna & præclara sua
dona extenuant devitanda saltem arrogantia ergò, & hi politiones atque
modestiores reliquis sunt.

XXVII. 2. Quidam dona sua, qualia illa etiam qualia, alioqui ta-
men probè cognita, tegere solent, quò aliis occasionem præbeant eadem
collaudandi & efferendi, sed nil aliud est hoc, quàm unius verbi notâ, hu-
milis superbia, ac proinde merito reprehenditur. 3. Denique nonnulli
dissimulant ea, quæ cæteris sunt ignotiora, quæ dissimulatio modesta quoq,
esse videtur, minimè malitiosa. Hæc de Veracitate.

XXVIII. Ad extremum εὐρηγοῦν ἡλεία seu Urbanitas est Virtus, quâ
ludos & jocos moderamur, ita ut in illis honestas & decorum servetur, ca-
veaturq, offensio & obscœnitas: Nam proprium ejus objectum sunt ludi &
joci, non quavis de causâ, sed recreationis tantum gratiâ suscepti, cum à
laboribus cessamus, lib. 4. Eth. Nic. cap. 8.

XXIX

XXIX. *Officium Urbanitatem servantis, in hisce consistit canonibus:*
1. Utitur jocos honestis, hoc est, talibus qui probantur bonis, non obscenis,
impiis, blasphemis, profectis ex animo ledendi & nocendi. 2. Attendit
praecipue occasionem, ut non quovis tempore, loco, non ad personam quam-
vis, &c. illi dicantur. 3. Moderatè insuper illis utitur. 4. Sapius reci-
tat aliorum jocos, quam fingit novos. 5. Frequentius & lubentius audit
delectaturq; aliorum jocos, quam quod proprio Marte quid comminiscat-
tur, &c.

XXX. *Extrema Urbanitati duo opponuntur, & quidem in defecta*
Rusticitas seu ἀργιότης, qua nec dicere, nec audire potest jocos liberales:
Et haec tollit tum iucundas conversationes, tum hilaritatem omnem,
qua sine tamen vita ipsa vix, & ne quidem vix, consistere quit. In excessu
verò Scurrilitas, cum risus movendi causâ dicuntur & fiunt, atque tole-
rantur etiam ea, quae minus conveniunt.

XXXI. *Huc pertinent ij, qui aliis per jocum exprobrant vitia occulta,*
aliavè aliqua affingunt, item qui impudica spargunt dicta, tantum ut risus
moveatur: Sic huc quadrant omnes momi, histriones, &c. qui ludunt,
sed insulse, qui jocos & risum commovent, at non decore; Non tamen re-
moventur hinc ludiscenici, quales sunt comedia & tragedia, recreationis
honestae ergò institutae. Sed manum de tabula hac.

ADJECTANEA.

1. *Afflicti, aut aliàs occupati, comes esse minus possunt.*
2. *Tunc dicendum verum, quando ad id proferendum obli-*
gamur.
3. *Nec eo violanda taciturnitatis leges sunt.*
4. *Dicendoq; aliquando verum aliquis mentiri potest.*
5. *Inte-*
rim non omne mendacium est turpe inconcessumq;.
6. *Ac*
viriboni prudentisq; est quandoq; simulare & dissimulare.
7. *Verum non in negotio religionis.*
8. *Aliàs etiam fides*
data, juramenta legitima, etiam hostibus, sunt servanda.
9. *Quamvis non simpliciter latroni vitæ redimenda causâ.*
10. *Non omnis solitudo sanitati obest.*

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



600



A. A. C. C.
S P I T A T I O
ATIONUM PHILO.
PHICARUM XL,

De
UETUDINE,
VIRTUTIBUS
homiliticis.

Quam,
EO AVSPICE,
UB PRÆSIDIO

IÆ T I L E M A N I

Colleg. Philos. Adjuncti,
icitij gratiã defendendam suscipiet,
MUS CRAMBERUS,
inensis Pomeranus,
à V Vittebergensi Academia,
25 Maij, hora & loco solitis.
archi μνήμα apud Platon.
Στεῖχος δικαία φρονῶν.

VITTEBERGÆ,
Gormanni ANNO M. DC. XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

